



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

Parisiis, 1644

Sessio XVIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15653

ANNO
CHRISTI
1415.

*Quod celebretur Missa singulis diebus dominicis per Concilium,
& fiat processio, & interessentes habeant centum
dies indulgentiarum.*

Item vt Deus prafati serenissimi principis & aliorum cum eo ad dictam conuentionem ecclesie sue gressus dirigere, & corda illorum cum quibus acturi sunt; ad eandem pacem seu clementiam inducere, & illos cum dicta pace obtenta ad dictum sacrum Concilium incolumes reducere dignetur, statuit & ordinat sancta Synodus, quod singulis septimanis die dominico fiat processio generalis in hac ciuitate Constantiensi cum Missa solenni: quibus processioni & Missae omnes praelati in hoc Concilio existentes interesse teneantur, vestimentis pontificalibus (vt est moris) induti. Conceditque dicta sancta Synodus cuilibet praemissorum interessenti centum dies indulgentiarum, & totidem cuilibet presbytero vnam Missam celebranti, & aliis qui deuote semel in die, Pater noster & Aue Maria, pro dicta incolumitate orando dixerint, quadraginta dies indulgentiae in forma ecclesiae consueta. Lectis supradictis, per deputatos quatuor nationum, dominum praesidentem, fuit concorditer responsum: Placet.

SESSIO XVIII.

ANNO & indictione quibus supra, die vero Sabbati decimaseptima mensis Augusti, fuit celebrata sessio generalis in maiori ecclesia Constantiensi, in qua praesidebat reuerendissimus pater dominus Ioannes episcopus Ostiensis, sanctae Romanae ecclesiae cardinalis & vicecancellarius, fuitque decantatum officium Missae de assumptione beatae virginis Mariae per dominum Petrum episcopum Olorensem. Quo finito, legebantur litaniae, & alia fiebant more aliarum sessionum. Quibus expletis, dominus Antonius episcopus Concordiensis legebat articulos inferius descriptos. *con introitu, Gaudeamus omnes in Domino, prout in festo assumptionis beatae Mariae virginis, litanis & orationibus, Veni creator Spiritus, euangelio, &c. Praesentibus ibidem reuerendissimis patribus dominis, Ioanne episcopo Ostiensi cardinali Viuariensi praesidente, Iordano de Vrsinis Albanensi, Angelo Laudensi Praenestino, episcopis;*
Concil. Tom. 29. M m m ij

*Francisco Venetiarum, Joanne sancti Sixti, Antonio Aquileien-
si, Branda Placentinensi, Alamanno Pisano, Thoma Tricari-
censi, Guillelmo sancti Marci, presbyteris; Raynaldo de Brancka-
sis, Amadeo Salutiarum, Landulpho Barenfi, Lucido de Co-
mite, Ludouico de Flisco & Francisco Florentinensi diaconis
cardinalibus. Quibus Missæ & litaniarum officiis solenniter
peractis, ascenderunt ambonem, in quo sententiæ, edicta, statu-
ta & ordinationes Synodi Constantiensis publicari & legi so-
lent, reuerendi patres domini Antonius episcopus Concordiensis,
Andreas electus Poznaniensis, Nicolaus episcopus Mersburgensis,
Vitalis episcopus Tolonensis, & Thomas abbas sanctæ Mariæ ex-
tra muros Eboraci ordinis sancti Benedicti. Idem Antonius episco-
pus Concordiensis de mandato ipsius sanctæ Synodi legebat quæ-
dam capitula, statuta siue constitutiones obseruandas ad perpe-
tuam rei memoriam, huiusmodi sub tenore.*

Datur potestas iudicibus definiendi, & causas per duos cognoscendi.

Nuper sacrosancta & vniuersalis Synodus Constans-
tensis reuerendos in Christo patres dominos Pistorien-
sem, Vaurensem, Plocensem & Saresbiriensem episco-
pos, ad audiendum causas & querelas ad ipsum Conci-
lium deuolutas & deuoluendas, seu deducendas, vsque
ad sententiam exclusiue, deputauit. Nequiens igitur ip-
sa sancta Synodus, diuersis aliis occupata negotiis, ipsa-
rum causarum finali decisioni intendere; nolensque eas
absque finali decisione diu propterea remanere, prædi-
ctis dominis episcopis etiam causas ipsas finaliter, sum-
marie, simpliciter, & de plano sine strepitu & figura iu-
dicij, finiendas & terminandas, assumptis sibi in riman-
dis processibus & sententiis proferendis quatuor assesso-
ribus de quatuor nationibus eiusdem Synodi per eos eli-
gendis, partibus non suspectis, super quo eorum con-
scientiæ onerentur, causis tantum cathedralium eccle-
siarum & maioribus earundem causarum dumtaxat ex-
ceptis, plenariam tribuit potestatem. Et vt eo facilius
negotia & causæ ad finem optatum perueniant, eadem
sancta Synodus, vt ipsi quatuor, aut tres, aut duos ex
ipsis, aliis statutis horis non venientibus, terminos ip-
sos in ipsis causis occurrentes, teneri & obseruari face-
re, & alias vsque ad definitiuam sententiam exclusiue in

ANNO CHRISTI 1455. causis ipsis procedere possint & valeant, ordinat, statuit & decernit.

Quod adhibeatur fides bullæ Concilii.

Item statuit, ordinat & decernit dicta sancta Synodus, quod quibuscumque veris literis sub bulla ipsius Synodi conficiendis, in quibuscumque causis, negotiis & factis stetur firmiter in iudicio & extra, vbi cumque exhibitæ fuerint vel ostensæ: illaque fides ipsis exhibeatur, quæ veris literis apostolicis bullatis consuevit & debet merito adhiberi: ac eandem vim, illudque robur habeant in omnibus & per omnia, quam & quod ipsæ literæ apostolicæ habent, & habere debent & possunt quòquo modo. super cuius bullæ vsu & custodia per Concilium delibera- bitur.

Quod committentes falsum circa bullam Concilii, puniantur sicut falsarii literarum apostolicarum.

Item prædicta sancta Synodus similiter statuit, ordinat & decernit, quod omnes & singuli qui dolum & fraudem seu fallitatem aliquam circa huiusmodi literas bullandas dictæ Synodi pro tempore forsitan commiserint, & illi etiam qui in hoc consenserint, aut talia fieri procurauerint, vel literis falsis scienter vsi fuerint, illas censuras ecclesiasticas & pœnas incurrant; quas falsificatores literarum apostolicarum, & qui illis literis scienter vtuntur, nec non participes illius causæ, idem crimen incurrunt iuxta canonicas sanctiones.

Quod literæ expediantur super gratiis per olim papam Ioannem concessis, exceptis exorbitantibus & expectatiuis.

Item similiter statuit, decernit & ordinat dicta sancta Synodus, quod literæ super omnibus & singulis gratiis per dominum Baltassarem tunc Ioannem papam vigesimum tertium factis, vsque ad ipsius administrationis suspensionem in spiritualibus & temporalibus, scilicet, quæ fuit die Martis 14. mensis Maii præsentis anni, signatis, possint & debeant per reuerendissimum in Christo patrem & dominum, dominum Ioannem episcopum Ostiensem, sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalem & vicecancel-

larium, & quatuor sibi adiunctos de quatuor nationibus, videlicet dominos Concordiensem pro Italica, Ariminensem pro Gallicana, Theodoricum * Voym pro Germanica, & dominum Robertum * Appelliensem pro Anglica, auctoritate dictæ Synodi sub modis & formis, quibus summi pontifices literas gratiarum & concessionum suorum prædecessorum Romanorum pontificum in similibus expedire consueverunt, iuxta constitutiones & regulas ac obseruantias & stylum cancellariæ apostolicæ, & sub nomine & bulla dictæ Synodi expediri, expectationibus & exorbitantiis dumtaxat exceptis.

Ego Antonius episcopus Concordiensis, die Sabbati decimosextimo præsentis mensis Augusti, millesimo quadringentesimo decimoquinto, superscriptam scripturam, prout iacet, de mandato omnium quatuor nationum totius generalis Synodi Constantiensis, legi, recitavi, & alta voce publicavi in sessione publica totius ipsius generalis Synodi Constantiensis in maiori ecclesia Constantiensis congregatæ. In cuius fidem hic manu mea subscripsi.

Qua quidem schedula lecta, idem dominus Antonius episcopus Concordiensis legebat vnã aliam schedulam deputationis ambasiatorum ad Italiam nomine Synodi prædictæ mittendorum, huiusmodi sub tenore.

Deputantur ambasiatores ad Italiam.

Sacrofancta Synodus Constantiensis mittit ambasiatores suos ad reuerendissimum patrem & dominum, dominum Angelum Corarium episcopum cardinalem, olim Gregorium XII. in sua obedientia nominatum, & dominos cardinales secum existentes, & ad alias partes Italiæ super factis & negotiis vnionis ecclesiæ, cum instructionibus & facultatibus deliberatis & conclusis: quorum ambasiatorum nomina sunt hæc, videlicet, domini archiepiscopus Mediolanensis, archiepiscopus Ragusinus, episcopus sancti Flori, abbas Florentinensis præpositus Quinqueecclesiarum, magister Ioannes * Scholii, &c. Quibus lectis, fuit per deputatos & præidentem concorditer responsum: Placet.

Ego Antonius episcopus Concordiensis de mandato quatuor nationum generalis Synodi Constantiensis, præsentem schedulam legi & publicavi die decimosextimo mensis Augusti, anno millesimo quadringentesimo decimoquinto, in sessione publica eiusdem

ANNO
CHRISTI
1445.

* Noyon
* Niem
* Appelle
* Saref-
birien-
sem.

* Scholis,
Scoby.

ANNO CHRISTI 1445. *generalis Synodi. Sessio propter causas fuit prorogata ad aliam diem.*

Anno & indictione quibus supra, die vero Veneris vigesima mensis Septembris, facta fuisse debuit sacrosancta Constantiensis Concilii sessio; pro qua quidem sessione fienda certæ in valuis ecclesiarum Constantiæ fuerunt positæ schedulæ: quæ tamen sessio certis de causis rationabilibus ipsum Concilium mouentibus ad diem Lunæ extunc proxime sequentem fuit prorogata.

SESSIO XIX.

ANNO a natiuitate Domini millesimo quadringentesimo decimoquinto, indictione octaua, die Lunæ vigesimatertia mensis Septembris, sede apostolica vacante, fuit celebrata sessio generalis per Synodum Constantiensem, in qua fuit celebratum officium Missæ per reuerendum patrem dominum Nicolaum episcopum Assisinatensem. Qua Missa celebrata, incipiebantur litanix, & alia fiebant, vt in sessionibus fieri solitum est. Præsidebat vero in eadem sessione reuerendissimus pater dominus Ioannes episcopus Ostiensis cardinalis Viuariensis. In qua sessione Hieronymus de Praga per reuerendissimum dominum Petrum cardinalem Cameracensem & alios deputatos per Concilium, in materia fidei instructus & informatus de fide recta sanctæ matris ecclesiæ, qui iam fuerat accusatus de hæresi, & per Concilium super hoc incarcerationatus, quamdam reuocationis seu abiurationis papyri schedulam, stans in ambone publice, alta & intelligibili voce legebat, reuocans & abiurans, prout in eadem schedula, cuius tenor sequitur, continetur.

Abiuratio Hieronymi de Praga.

Ego Hieronymus de Praga artium liberalium magister, cognoscens veram catholicam ecclesiam & apostolicam fidem, anathematizo omnem hæresim, præcipue eam, de qua hæctenus infamatus fui, & quam præteritis temporibus dogmatizauerunt & tenuerunt Ioannes Vicleff & Ioannes Hus in suis opusculis, libellis seu sermonibus ad clerum & ad populum, propter quam causam prædicti cum suis dogmatibus & erroribus damnati sunt ab hac dicta Constantiensi Synodo tamquam hæretici, & eo-